



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Consternatio multitudinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

## DE CAPRA. CAP. I.

**H**Sto igitur prima de Capra consideratio, quoniam ea vago lascivoque admodum ingenio prædita, & vorandi aviditate hac illac cursitans, locoque stare nescia, è grege prima omnium prodiit,

## AUDIENDI PROMPTITUDO.

## CAP. II.

*A Plin. lib. 8. c. 50.* **H**ominem auditu præpollentem Ægyptii hieroglyphice significare si vellent, Capram ponere soliti sunt, quam per aures perinde atque per narès spiritum & emittere, & vicissim recipere una cum Ægyptiis tam Archelaus quam Alcmaeon auctores gravissimi prodidere: quamvis opinionem hanc maxime reprobatur Aristoteles, humanamque diligentiam id nulla adhuc dissectione deprehendisse, aut sensu aliquo evidentiore conijcere potuisse, firmiter asseverat: Ægyptiis tamen commentum placet.

## CONSTERNATIO MULTITUDINIS.

## CAP. III.

*Caprarum grex astutus. Plin. ibid.*

**S**unt qui multitudinem uniuscujusque casu consternatam obstupescantemque indicare volentes, Capram villosa mento dependente comprehensam pingant. Accidit enim, ut si earum unam ex grege aruncum eo apprehenderis, cætera stent veluti stupida, suos in illam unam oculos conijcientes. Sunt vero qui loco hoc modo Eryngium, modo Moly, vel Origanum etiam querant: quem caulem si Ovis Capellave pascendo avulserit, & in sublimi conspicuum erexerit, grex reliquus abjecta pabuli cura attonitus reddatur: neque prius pabuli memor fiat, quam caulis ille à pastoribus ab ore pecudis abstractus abijciatur. Cujus fabulæ auctores etiam citant Aristotelem & Plutarchum. Nos Hieroglyphicum de apprehensa Capræ barba, quam Opius Aurelius Spirillum vocari dicit, aruncum Plinius ex Naturali historia defumpsimus.



## PRO VITIBUS SACRUM. CAP. IV.

*In Corin. thiaco. Præsertim vitibus ex Plin. ibid.*

**Q**uid autem sibi vellet hieroglyphicum aheneæ Capræ inauratæ, quam Philiasii tanto cultu præsequantur, ut illi etiam preces allegarent, Pausanias declarat. Quippe cum manifestum sit, quod ne id accideret, ea potissimum ratione caveri posse judicant. Animal porro id cum sit ex domesticis omnibus damnosissimum, lege in Acropolin Athenis adire prohibitum, morsu noxio universa gemina abrodens, & ut more Jurisconsultorum, ac pratorii edicti loquar, pauperiem faciens Alii Baccho Caprum ob hoc mastare maluerunt: ut pestia quæ morsu pestilenti vitibus maxime nocet, immolata, Deum vitibus conciliaret. Nam & Afcolia sacra, de quibus Virgil. *Unctos saliere per utres*, ea de causa Baccho sunt instituta: quia utres ex hircinis caprinisque pellibus fieri consueverunt. Quoniam vero Capræ vitem abrodens eam veluti veneficio vitiat, excogitatum est in Bacchi gratiam id in utres ludibrium, ut scilicet eos flatu tumefactos per humum disponderent, superque eos saltationibus lascivirent, unde lubricitate pellis suoapte pingui delibutæ pingues identidem fallerentur, precipitesque saltatores, sine ullo tamen incommodo, conciderent, effusumque omnium risum excitarent. Eadem antipathia causa dictum à Virgilio autumant:

*Et in veribus torrebimus extra columnis.*

*Georg. lib. 3.*

Corylos enim vitibus vicinitate sua nocere, experimento compertum est: quamvis Festus columna hastilia ex corno abore facta potius, quam ex Corylo velit. Contra vero inventum est ex tam pestilente in vites animali maximam capere utilitatem, ejusque beneficio augeri vindemiam: siquidem apud Africanum legas, cornua Caprarum numero tria circum arborem, cui vitis maritata sit in terram affigi, acumine deorsum immisso, ore cornuum supra terram paululum extante, ut pluvia, velut